


U d'/ of Ottawa
39003002856218



CENT VINGT

VERSIONS LATINES

E. RAGON

AGRÉGÉ DE L'UNIVERSITÉ



Cent vingt Versions latines

DONNÉES AUX EXAMENS DU BACCALAURÉAT

ÈS LETTRES

SIXIÈME ÉDITION



PARIS

J. DE GIGORD, ÉDITEUR

RUE CASSETTE, 15

—

1916

PREFACE

Que peut-on demander à une publication aussi modeste que celle-ci? Des textes corrects. C'est peu et c'est beaucoup, à en juger par les fautes nombreuses qui déparent trop souvent les textes publiés à l'usage des classes.

Dans ceux qui suivent on a cherché non seulement à éviter toute faute d'impression, mais à profiter des meilleurs travaux des philologues et à n'admettre que des leçons explicables et authentiques. Ces textes ont tous été donnés, la plupart récemment, aux examens du baccalauréat, soit à la Sorbonne, soit dans les Facultés de province. Nous ne les avons pas pris de toutes mains et au hasard : nous n'avons admis que ceux qui offraient un véritable intérêt, considérant que le fait d'avoir été proposé à des candidats n'est pas toujours pour un sujet de version la preuve qu'il a été parfaitement choisi.

On les trouvera ici rangés, non pas à l'aventure, mais dans l'ordre chronologique, le seul qui par

lui-même apprenne quelque chose. N'est-ce pas un avantage que, par le seul fait de la disposition des textes dans un livre, un élève se rende compte de l'ordre des temps et de l'âge des grands écrivains?

Vingt auteurs latins figurent dans ce recueil; mais cinq seulement y sont largement représentés, Cicéron, Tite-Live, Tacite, Quintilien et Pline le Jeune. A quoi bon reproduire des textes aussi répandus que ceux de Virgile, d'Horace, de César ou de Salluste? A quoi bon surtout s'attarder à des écrivains de second ordre, tels que Valère Maxime, Velléius Paterculus, Fronton, Calpurnius, et bien d'autres? Mais il nous a paru à propos de citer trois pages fort intéressantes de Minucius Félix, de saint Jérôme et de saint Augustin.

Enfin la ponctuation et l'orthographe sont des minuties que beaucoup de gens dédaignent, mais dont nous avons eu soin de tenir un très grand compte.

E. R.

CENT VINGT VERSIONS LATINES

---

1. — La beauté de l'univers prouve l'existence de Dieu.

Si est aliquid in rerum natura quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes, omnesque eæ quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id quo illa conficiuntur homine melius. Id autem quid potius dixeris quam deum? etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo est ratio, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto deus. — An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci ut, etiamsi dominum non videas, muribus illam et mustelis ædificatam putes : tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cælestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, non plane desipere videare? An ne hoc quidem intelligimus,

omnia supera esse meliora, terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer?

CICÉRON.

2. — La terre révèle un créateur.

Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates liquoresque perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas amplitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines immensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri argentique venas infinitamque vim marmoris. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! qui volucrium lapsus atque cantus! qui pecudum pastus! quæ vita silvestrium! Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari; quorumque operibus agri, insulæ litoraque collucent, distincta tectis et urbibus. Quæ si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret.

CICÉRON.

3. — L'instinct des animaux.

Dedit eadem natura beluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando; cibumque

partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum; alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas ut cibum terrestrem rostris facile contingant; quæ au tem altiora sunt, ut anseres, ut cycni, ut grues, ut cameli, adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephanto est, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus ut alius eneris bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quædam atque sollertia : ut in araneolis aliæ quasi rete texunt, ut, si quid inhæserit, conficiant; aliæ autem ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt idque consumunt.

CICÉRON.

4 — Merveilleuse structure du sens de la vue.

Quis vero opifex præter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus? Quæ primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sæpsit; quas quidem perlucidas fecit, ut per eas cerni posset, firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et aspectum, quo vellent, facile converterent ; aciesque ipsa, qua cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut ea quæ nocere possint facile vitet ; palpebræque , quæ sunt tegmenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissime factæ et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas ; idque providit ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur,

et somno connìventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ii tanquam involuti quiescerent. Latent præterea utiliter, et excelsis undique partibus sæpiuntur.

CICÉRON.

5. — La main est l'instrument le plus utile à l'homme.

Quam aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum. Atque hæc oblectationis; illa necessitatis, cultus dico agrorum exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta, omnemque fabricam æris et ferri : ex quo intelligitur ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus[1] omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi ésse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Jam vero operibus hominum, id est manibus, cibi etiam varietas invenitur et copia. Nam et agri multa ferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur vel mandentur condíta[2] vetustati, et præterea vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus.

CICÉRON.

1. Joignez *adhibitis ad inventa*. — 2. Ne confondez pas *condĭtus* de *condire* avec *condĭtus* de *condere*.

6. — Les productions de la terre sont destinées aux hommes.

Terra feta frugibus et vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarumne an hominum causa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque dicam? quarum uberrimi lætissimique fructus nihil omnino ad bestias pertinent. Neque enim serendi neque colendi, nec tempestive demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est, earumque omnium rerum hominum est et usus et cura. Ut fides igitur et tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possent, sic ea quæ dixi iis solis confitendum est esse parata, qui utuntur; nec si quæ bestiæ furantur aliquid ex iis aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murum aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum et familiarum suarum. Itaque bestiæ furtim, ut dixi, fruuntur, domini palam et libere. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas fatendum est, nisi forte tanta ubertas et varietas pomorum eorumque jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et adspectus dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura donaverit.

CICÉRON.

7. — De l'immortalité de l'âme.

Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit aut patrem tuum Paulum aut duos avos, Paulum et Africanum, aut Africani patrem aut patruum aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta

esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se ipsos pertinere. An censes, ut de me ipse aliquid more senum glorier, me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset otiosam ætatem et quietam sine ullo aut labore aut contentione traducere? Sed, nescio quo modo, animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem et gloriam niteretur. Quid? quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo, nonne vobis videtur is animus, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci, ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi, neque vero eos solos convenire aveo quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi et legi et ipse conscripsi.

CICÉRON.

3. — La vertu n'est pas un calcul.

Quod si homines ab injuria pœna, non natura, arcere deberet, quænam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut justi sui doloris causam aliquam fingeret defensionemque facinoris a naturæ jure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod si pœna, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab injuriosa facinorosaque vita, nemo est injustus, aut incauti

potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et judicem? quid, in deserto loco nactus quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura justus vir ac bonus etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet; is vero qui nihil alterius causa facit et metitur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam erepturum et aurum ablaturum, nunquam ob eam causam negabit quod id natura turpe judicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!

CICÉRON.

9. — La vertu et l'amitié sont étroitement unies.

Est amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio : qua quidem haud scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates : beluarum hoc quidem extremum, illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Jam virtutem ex consuetudine vitæ sermonisque nostri interpretemur, nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, virosque bonos eos qui habentur numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones,

Philos : his communis vita contenta est : eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio, quî potest esse *vita vitalis*, ut ait Ennius, quæ non in amici mutua benevolentia conquiescit?

CICÉRON.

10. — Les prodiges ne méritent pas de créance.

Sanguine pluisse senatui nuntiatum est; Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra. Num censes his nuntiis Thalen, aut Anaxagoran, aut quemquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sanguis nec sudor, nisi e corpore. Sed et decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxume potest sanguini similis esse, et umor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari. Atque hæc in bello plura et majora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo cum creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante vero Marsicum bellum, quod clipeos Lanuvii, ut a te dictum est, mures rosissent, maxumum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quicquam intersit, mures, diem noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis *Politian* nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere; aut, si Epicuri *de Voluptate* liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

CICÉRON.

11. — Pompée a toutes les qualités d'un parfait général.

Quis Cn. Pompeio scientior unquam aut fuit, aut esse debuit? qui e ludo atque pueritiæ disciplinis, bello maximo atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum atque in militiæ disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris? ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator? qui sæpius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit quam ceteri legerunt? plures provincias confecit quam alii concupiverunt? cujus adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis; non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est erudita? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit.

CICÉRON.

12. — Cicéron explique pourquoi il se présente comme accusateur de Verrès.

Si quis vestrum, judices, aut eorum qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sim versatus ut defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata voluntate, ad accusandum descendere; is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id quod facio probabit, et

in hac causa profecto neminem præponendum mihi esse actorem putabit.

Cum quæstor in Sicilia fuissem, judices, itaque ex ea provincia decessissem ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quæsturæ nominisque mei relinquerem, factùm est uti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati, cuncti ad me publice sæpe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem : me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non jam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciæ defenderem.

CICÉRON.

13. — Brigandages de Verrès.

At quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? Nulla, judices, præter prædandi novam singularemque rationem. Nam ut illi, quos a poetis accepimus, qui sinus quosdam obsedisse maritimos aut aliqua promonturia aut prærupta saxa tenuisse dicuntur, ut eos qui essent appulsi navigiis interficere possent : sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. Quæcumque navis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria venerat, statim certis indicibus et custodibus tenebatur; vectores omnes in latomias conjiciebantur; onera atque merces in prætoriam domum deferebantur. Versabatur in Sicilia longo intervallo alter, non Dionysius ille nec Phalaris — tulit enim illa quondam insula multos et crudeles

tyrannos — sed quoddam novum monstrum ex vetere illa immanitate, quæ in iisdem locis versata esse dicitur. Non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis quam istum in eodem freto fuisse arbitror : hoc etiam iste infestior quod multo se pluribus et immanioribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multo importunior : hic enim totam insulam obsidebat, ille Ætnam solam et eam Siciliæ partem tenuisse dicitur.

CICÉRON.

14. — Invectives contre les Gaulois.

An vero istas nationes religione jurisjurandi ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini, quæ tantum a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt? Nam ceteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones. Illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt; istæ cum ipsis diis immortalibus bella gesserunt. Hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythium atque ad oraculum orbis terræ vexandum ac spoliandum profectæ sunt. Ab iisdem gentibus sanctis et in testimonio religiosis obsessum Capitolium est atque ille Jupiter cujus nomine majores nostri vinctam testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremo his quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam prius scelere violarint. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?

CICÉRON.

15. — Éloge de la loi des douze tables.

Fremant omnes licet, dicam quod sentio : bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, cujus rei tanta est vis ac tanta natura ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret : quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cujus primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet, vel quia est patria, parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione juris lætitiam et voluptatem, quod quantum præstiterint nostri majores prudentia ceteris gentibus tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, et Dracone, et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum, inconditum ac pæne ridiculum : de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus et maxime Græcis antepono.

CICÉRON.

16. — On ne doit parler que de ce qu'on connaît.

Non mihi opus est Græco aliquo doctore, qui mihi pervulgata præcepta decantet, cum ipse nunquam forum, nunquam ullum judicium aspexerit : ut peri-

pateticus ille dicitur Phormio. Cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis ut eum quem dixi, si vellet, audiret, cumque is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, cum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Hannibale quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic Pœnus non optime græce, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret vidisse neminem. Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annis de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare?

CICÉRON.

17. — Origine de l'éloquence.

Si volumus hujus rei, quæ vocatur eloquentia, considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque ab optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu fero vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas; non jus æquabile quid utilitatis haberet quisquam acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis

abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et sapiens, cognovit quæ materia et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et præcipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos.

CICÉRON.

18. — On peut avec honneur remplir le second rang.

Par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua aut illa præstantis ingenii vis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam, in poetis, non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar), aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem, in philosophia, deterruit a scribendo amplitudo Platonis; nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. In oratoribus græcis, admirabile est quantum inter omnes unus excellat : attamen, cum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, nec postea defecerunt. Quare non est cur eorum qui se studio eloquentiæ dediderunt spes infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud ipsum quod est optimum desperandum

est; et, in præstantibus rebus, magna sunt ea quæ sunt optimis proxima.

CICÉRON.

19. — Supériorité des Romains sur les Grecs.

Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia quæ retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi; et, cum omnium artium quæ ad rectam vivendi viam pertinerent ratio et disciplina studio sapientiæ, quæ philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi latinis litteris illustrandum putavi: non quia philosophia Græcis et litteris et doctoribus percipi non posset; sed meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent in quibus elaborarent. Nam mores et instituta vitæ, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius; rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Jam illa quæ natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Græcia neque ulla cum gente sunt conferenda.

CICÉRON.

20. — Le Tombeau d'Archimède.

Non ego jam cum Dionysii, Syracusanorum tyranni, vita, qua tetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytæ vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium. Ex eadem

urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cujus ego quæstor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, sæptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam : qui declarabant in summo sepulcro sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agragentinas magna freqûentia sepulcrorum), animadverti columellam non multum e dumis eminentem : in qua inerat sphæræ figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum arbitrari esse quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Ita nobilissima Græciæ civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.

CICÉRON.

21. — Vente publique des biens de Pompée.

Hasta posita pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompei — miserum me! consumptis enim lacrimis, tamen infixus animo hæret dolor, — bona, inquam, Cn. Pompei Magni voci acerbissimæ subjecta præconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit; servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi romani liber fuit. Exspectantibus omnibus quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium;

præsertim cum tot essent circum hastam illam qui alia omnia auderent : unus inventus est, qui id auderet quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, cum sector sis isto loco natus, deinde cum Pompei sector, non te exsecratum populo romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines esse inimicos et futuros scias? At quam insolenter statim helluo invasit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populus romanus exteris gentibus, justitia carior! In ejus igitur viri copias cum se subito ingurgitavisset, exsultabat gaudio, persona de mimo, « modo egens, repente dives ».

CICÉRON.

22. — Le parti des honnêtes gens.

Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates sunt, cujuscumque sunt ordinis; qui autem præcipue suis cervicibus tanta munia atque rempublicam sustinent, ii semper habiti sunt optimatium principes, auctores et conservatores civitatis. Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos adversarios, inimicos, invidos esse, multa proponi pericula, multas inferri injurias, magnos esse experiundos et subeundos labores : sed mihi omnis oratio est cum virtute, non cum desidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum iis qui se patriæ, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno et conviviis et delectationi natos arbitrantur Nam, si qui voluptatibus ducuntur et se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores; ne attingant rempublicam; patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui. Qui autem bonam famam bonorum, quæ sola vere gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quærere debent et volup-

tates, non sibi. Sudandum est iis pro communibus commodis; adeundæ inimicitiæ; subeundæ sæpe pro republica tempestates; cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, dimicandum. Hæc audivimus de clarissimorum virorum consiliis et factis, hæc accepimus, hæc legimus.

CICÉRON.

23. — Contre les socialistes.

Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii qui reipublicæ præsunt, quam abstinentia et continentia. Qui vero se populares volunt ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta rei publicæ : concordiam primum, quæ esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ; deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suæ rei cujusque custodia. Atque in hac pernicie rei publicæ ne illam quidem consequuntur quam putant gratiam : nam, cui res erepta est, est inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere voluisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo; at vero ille qui accepit injuriam, et meminit et præ se fert dolorem suum; nec, si plures sunt ii quibus improbe datum est quam illi quibus injuste ademptum est, idcirco plus etiam valent : non enim numero hæc judicantur, sed pondere.

CICÉRON.

24. — Ser. Sulpicius à Cicéron sur la mort de sa fille.

Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulerit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circa prospicere : post me erat Ægina, ante me Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare : « Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jacent? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse hominem te esse natum? » Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas : modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt; de imperio populi romani tanta deminutio facta est; omnes provinciæ conquassatæ sunt : in unius mulierculæ animula, si jactura facta est, tanto opere commoveris? Quæ si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata erat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere quæ digna tua persona sunt : illam, quamdiu ei opus fuerit, vixisse; una cum republica fuisse; te, patrem suum, prætorem, consulem, augurem vidisse; adulescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis prope perfunctam esse; cum respublica occideret, vita excessisse : quid est quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis?

25. — Cicéron à Atticus.

Quæ me causæ moverint, quam acerbæ, quam graves, quam novæ, coegerintque impetu magis quodam animi uti quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere : fuerunt quidem tantæ, ut id quod vides effecerint. Itaque nec quod ad te scribam de meis rebus, nec quod a te petam reperio. Rem et summam negotii vides. Equidem ex tuis litteris intellexi, et iis quas communiter cum aliis scripsisti, et iis quas tuo nomine, quod etiam mea sponte videbam, te subdebilitatum novas rationes tuendi mei quærere. Quod scribis placere, ut propius accedam iterque per oppida noctu faciam, non sane video quemadmodum id fieri possit. Neque enim ita apta habeo deversoria, ut tota tempora diurna in his possim consumere; neque ad id quod quæris multum interest, me homines in oppido videant an in via. Sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo, quemadmodum commodissime fieri posse videatur. Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures litteras non potui; iis tantum rescripsi a quibus acceperam. Tu velim et Basilio, et quibus præterea videbitur, etiam Servilio conscribas, ut tibi videbitur, meo nomine.

CICÉRON.

26. — Éloge de la clémence de César.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes : sed tamen ea vicisti quæ et naturam et condicionem ut vinci possent habebant. Nulla est enim tanta vis quæ non ferro ac viribus debilitari

frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriæ temperare, adversarium nobilitate ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem : hæc qui facit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pæne omnium gentium litteris atque linguis; neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, et in victoria, quæ natura insolens et superba est, audimus aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpe quos nunquam viderimus diligamus?

CICÉRON.

27. — Cicéron à Curion.

Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Hujus generis litteras a me profecto non exspectas. Tuarum enim rerum domesticarum habes et scriptores et nuntios. In meis autem rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magno opere delectant : unum familiare et jocosum, alterum severum et grave. Utro me minus deceat uti, non intelligo. Jocerne tecum per litteras? Civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? Quid est quod

possit graviter scribi a Cicerone ad Curionem, nisi de republica? Atque in hoc genere hæc mea causa est, ut neque ea quæ sentio, nec quæ non sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula qua soleo, teque ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quædam exspectatio : quam tu una re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem; et hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei.

CICÉRON.

28. — Brutus à Cicéron.

Particulam litterarum tuarum quas misisti Octavio legi, missam ab Attico mihi. Studium tuum curaque de salute mea nulla me nova voluptate affecit; non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris aut feceris. At dolore, quantum maximum capere animo possum, eadem illa pars epistolæ scriptæ ad Octavium de nobis affecit. Sic enim illi gratias agis de republica, tam suppliciter ac demisse (quid scribam? pudet condicionis ac fortunæ, sed tamen scribendum est) commendas nostram salutem illi (quæ morte qua non perniciosior?), ut prorsus præ te feras non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse. Verba tua recognosce, et aude negare servientis adversus regem istas esse preces. Unum ais esse quod ab eo postuletur et exspectetur . ut eos cives de quibus viri boni populusque romanus

bene existimet, salvos velit. Quid? si nolit, non erimus? Atqui, non esse, quam esse per illum, præstat. Ego, me dius fidius, non existimo tam omnes deos aversos esse salute populi romani, ut Octavius orandus sit pro salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum.

29. — Les Druides.

Sacrificia procurant, religiones interpretantur; ad hos magnus adolescentium numerus, disciplinæ causa, concurrit. Si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia pœnasque constituunt. Si qui, aut privatus aut publicus, eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit : aut, si sunt plures pares, suffragio druidum adlegitur, nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore, in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent.

César.

30. — Vie sauvage des premiers hommes.

Sed vis quæque suo ritu procedit : et omnes
Fœdere naturæ certo discrimina servant.

At genus humanum multo fuid illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;
Et majoribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum, validis aptum per viscera nervis,
Nec facile ex æstu nec frigore quod caperetur,
Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla.
Multaque per cælum solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arva,
Nec nova defodere in terram virgulta nec altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum,
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, et quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat :
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.

LUCRÈCE.

31. — Désordres de l'armée romaine en Afrique.

Ubi Metellus in Africam venit, exercitus ei traditur a Sp. Albino proconsule iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, prædator ex sociis et ipse præda hostium, sine imperio et modestia habitus. Itaque imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut bonæ spei accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et æstivorum tempus comitiorum mora imminuerat et exspectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum attingere, quam majorum disciplina milites laborare coegis-

set. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis æstivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat, nisi cum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur, neque more militari vigiliæ deducebantur : uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixæ permixti cum militibus die noctuque vagabantur; et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum prædas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio et aliis talibus; præterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari : postremo, quæcumque dici aut fingi queunt ignaviæ luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

SALLUSTE.

32. — Les agriculteurs doivent prendre leurs précautions contre les intempéries.

Quid tempestates autumni et sidera dicam,
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior æstas,
Quæ vigilanda viris ? vel cum ruit imbriferum ver,
Spicea jam campis cum messis inhorruit, et cum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola et fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prœlia vidi,
Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublimem expulsam eruerent : ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantes.
Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem ignibus atris
Collectæ ex alto nubes : ruit arduus æther
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores

Diluit; implentur fossæ, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit : fugere feræ, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor : ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit; ingeminant austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
Hoc metuens, cæli menses et sidera serva.

VIRGILE.

33. — Le Jardin.

Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat quod pauperis exigit usus.
Interdum locuples a paupere plura petebat
Nec sumptus erat illud opus, sed regula curæ :
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant
Festave lux, si forte labor cessabat aratro,
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ committere semina terræ,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes bracchia betæ,
Fecundusque rumex malvæque inulæque virebant;
Hic siser, et capiti nomen debentia porra;
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini (quis enim contractior illo?),
Sed populi proventus erat; nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem;

Inde domum cervice levis, gravis ære, redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.

Attribué à Virgile.

34. — Éducation d'Horace.

Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore nævos;
Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra
Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis :
Causa fuit pater his, qui, macro pauper agello,
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri, magnis e centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonos referentes Idibus æris [1],
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes
In magno ut populo si qui vidisset, avita
Ex re præberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus : at hoc
Laus illi debetur et a me gratia major. [nunc

Horace.

1. *Octonos (asses) æris*, huit as par mois.

35. — Préface de l'histoire romaine de Tite-Live.

Res est immensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur, et quæ, ab exiguis profecta initiis, eo creverit ut jam magnitudine laboret sua; et legentium plerisque haud dubito quin primæ origines proximaque originibus minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc nova, quibus jampridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris præmium petam, ut me a conspectu malorum quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper, certe dum prisca illa tota mente repeto, avertam, omnis expers curæ quæ scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit. Quæ ante conditam condendamve Urbem, poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibusque artibus domi militiæque, et partum et auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est.

Tite-Live.

36. — État de Rome après la mort de Romulus.

Patrum interim animos certamen regni ac cupido versabat. Necdum a singulis, quia nemo magnopere eminebat in novo populo, per vim aut factionibus; in-

ter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne, quia post Tati mortem ab sua parte non erat regnatum, in societate æqua possessionem imperii amitterent, sui corporis creari regem volebant; Romani veteres peregrinum regem aspernabantur. In variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta. Timor deinde Patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa civitatium irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. Et esse igitur aliquod caput placebat, et nemo alteri concedere in animum inducebat. Ita rem inter se centum Patres, decem decuriis factis singulisque in singulas decurias creatis qui summæ rerum præessent, consociant. Decem imperitabant, unus cum insignibus imperii et lictoribus erat; quinum dierum spatio finiebatur imperium ac per omnes in orbem ibat; annuumque intervallum regni fuit. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum.

TITE-LIVE.

37. — Mucius Scævola au camp de Porsenna.

Ubi in Porsenæ castra venit C. Mucius, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium forte militibus daretur et scriba cum rege sedens, pari fere ornatu, multa ageret, eum milites vulgo adirent, timens sciscitari uter Porsena esset, ne ignorando regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum, concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent, ante tribunal regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunæ minas metuendus magis quam metuens : « Romanus sum, inquit, civis; C. Mu-

cium vocant; hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est quam fuit ad cædem. Et facere et pati fortia Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi : longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ : hoc tibi juventus Romana indicimus bellum; nullam aciem, nullum prœlium timueris; uni tibi et cum singulis res erit. » Cum rex, simul ira infensus periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi expromeret propere quas insidiarum sibi minas per ambages jaceret : « En tibi, inquit, ut sentias quam vile corpus sit iis qui magnam gloriam vident, » dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit.

Tite-Live.

38. — Défaite des Volsques.

Proxima inde nocte Volsci, discordia romana freti, si qua nocturna transitio proditiove fieri posset, tentant castra. Sensere vigiles : excitatus exercitus, signo dato : concursum est ad arma. Ita frustra id inceptum Volscis fuit : reliquum noctis utrinque quieti datum. Postero die prima luce Volsci, fossis repletis, vallum invadunt. Jamque ab omni parte munimenta vellebantur, cum consul, quanquam cuncti undique, et nexi [1] ante omnes, ut signum daret clamabant, experiendi animos militum causa parumper moratus, postquam satis apparebat ingens ardor, dato tandem ad erumpendum signo, militem avidum certaminis emittit. Primo statim incursu pulsi hostes : fugientibus, quoad insequi pedes potuit,

1. *Nexi*, les débiteurs, les prisonniers pour dettes, qu'on avait autorisés à s'enrôler comme soldats.

terga cæsa : eques usque ad castra pavidos egit. Mox ipsa castra, legionibus circumdatis, cum Volscos inde etiam pavor expulisset, capta direptaque. Postero die ad Suessam Pometiam, quo confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur : captum prædæ datum : inde paullum recreatus egens miles. Consul cum maxima gloria sua victorem exercitum Romam reducit : decedentem Romam Ecetranorum Volscorum legati, rebus suis timentes post Pometiam captam, adeunt. His ex senatusconsulto data pax, ager ademptus.

TITE-LIVE.

39. — Combat des Romains et des Volsques.

Ubi illuxit, Romanus, integer satiatusque somno productus in aciem, fessum stando et vigiliis Volscum primo impetu perculit : quanquam cessere magis quam pulsi hostes sunt; quia ab tergo erant clivi, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Consul, ubi ad iniquum locum ventum est, sistit aciem. Miles ægre teneri, clamare et poscere ut perculsis instare liceat. Ferocius agunt equites; circumfusi duci vociferantur se ante signa ituros. Dum cunctatur consul, virtute militum fretus, loco parum fidens, conclamant se ituros; clamoremque res est secuta. Fixis in terram pilis, quo leviores ardua evaderent, cursu subeunt. Volscus, effusis ad primum impetum missilibus telis, saxa objacentia pedibus ingerit in subeuntes, turbatosque ictibus crebris urget ex superiore loco. Sic prope oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus jam gradum consul, increpando simul temeritatem, simul ignaviam, pudore metum excussisset. Resistere primo obstinatis animis ; deinde, ut obtinentes locum vires refecerant, audent ultro gradum inferre ;

et, clamore renovato, commovent aciem. Tum rursus, impetu capto, enituntur, atque exsuperant iniquitatem loci.

TITE-LIVE.

40. — Camille détourne les Romains d'émigrer à Véies.

Non sine causa dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum; regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis: trecentesimus sexagesimus quintus annus urbis, Quirites, agitur : inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis; cum interea, ne singulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volsci, tot tam valida oppida, non universa Etruria, tantum terra marique pollens atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod cum ita sit, quæ (malum) ratio est expertis alia experiri, cum, jam ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certe loci hujus transferri non possit? Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento responsum est eo loco caput rerum summamque imperii fore; hic, cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi [1]; hic Vestæ ignes, hic ancilia cælo demissa, hic omnes propitii manentibus vobis dii!

TITE-LIVE.

1. Cf. liv. I, ch. 55. Tarquin, voulant réserver tout l'emplacement du Capitole à un temple de Jupiter, en avait fait disparaitre les autres temples par la cérémonie de l'*exauguration*.

41. — Ardeur des soldats romains.

Lentius id aliquanto bellum quam parti utrique placebat fuit. Cum primo Galli tantum avidi certaminis fuissent, deinde Romanus miles ruendo in arma ac dimicationem aliquantum Gallicam ferociam vinceret, dictatori neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ se committere adversus hostem quem tempus deteriorem in dies et locus alienus faceret, sine præparato commeatu, sine firmo munimento morantem; ad hoc iis corporibus animisque quorum omnis in impetu vis esset, parva eadem languesceret mora. His consiliis dictator bellum trahebat, gravemque edixerat pœnam, si quis injussu in hostem pugnasset. Milites ægre id patientes primo in stationibus vigiliisque inter se dictatorem sermonibus carpere, interdum patres communiter increpare, quod non jussissent per consules geri bellum : electum esse eximium imperatorem, unicum ducem, qui nihil agenti sibi de cælo devolaturam in sinum victoriam censeat. Eadem deinde hæc interdiu propalam ac ferociora his jactare : se injussu imperatoris aut dimicaturos aut agmine Romam ituros. Immiscerique jam militibus centuriones, nec in circulis modo fremere, sed jam in principiis ac prætorio in unum sermones confundi atque in contionis magnitudinem crescere turba et vociferari ex omnibus locis, ut extemplo ad dictatorem iretur, verba pro exercitu faceret Sex. Tullius.

TITE-LIVE.

42. — Les dieux demandent qu'un consul se dévoue

Consensit senatus bellum; consulesque, duobus scriptis exercitibus, per Marsos Pelignosque profecti,

adjuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo jam Latini sociique convenerant, castra locant. Ibi in quiete utrique consuli eadem dicitur visa species viri majoris quam pro humano habitu augustiorisque, dicentis : « Ex una acie imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus matrique Terræ deberi; utrius exercitus imperator legiones hostium superque eas se devovisset, ejus populi partisque victoriam fore. » Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit averruncandæ deum iræ victimas cædi; simul ut, si extis eadem quæ sommo visa fuerant portenderentur, alteruter consulum fata impleret. Ubi responsa aruspicum insidenti jam animo tacitæ religioni congruerunt, tum, adhibitis legatis tribunisque et imperiis deum propalam expositis, ne mors voluntaria consulis exercitum in acie terreret, comparant inter se ut, ab utra parte cedere romanus exercitus cœpisset, inde se consul devoveret pro populo romano Quiritibusque. Agitatum etiam in consilio est, ut, si quando unquam severo ullum imperio bellum administratum esset, tunc uti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. Curam acuebat, quod adversus Latinos bellandum erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes.

TITE-LIVE.

43. — Les Fourches Caudines.

Primi consules prope seminudi sub jugum missi; tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus; tum deinceps singulæ legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque; gladii etiam plerisque intentati, et vulnerati quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset; ita traducti sub jugum, et, quod

pæne gravius erat, per hostium oculos. Cum e saltu evasissent, etsi velut ab inferis extracti tum primum lucem adspicere visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Itaque, cum ante noctem Capuam pervenire possent, incerti de fide sociorum et quod pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua omnium egeni corpora humi prostraverunt. Quod ubi est Capuam nuntiatum, evicit miseratio justa sociorum superbiam ingenitam Campanis; confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores; arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne mittunt; et venientibus Capuam cunctus senatus populusque, obviam egressus, justis omnibus hospitalibus, privatisque et publicis fungitur officiis. Neque illis sociorum comitas vultusque benigni et alloquia non modo sermonem elicere, sed ne ut oculos quidem attollerent aut consolantes amicos contra intuerentur efficere poterant : adeo super mærorem pudor quidam fugere colloquia et cœtus hominum cogebat.

TITE-LIVE.

44. — Portrait d'Hannibal.

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit : Hamilcarem juvenem redditum sibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri; dein brevi effecit ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit : itaque haud facile discerneres utrum imperatori, an exercitui, carior esset : neque Hasdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut au-

dere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus superesset quieti datum; ea neque molli strato neque silentio arcessita : multi sæpe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens; arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps in prœlium ibat, ultimus conserto prœlio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant : inhumana crudelitas, perfidia plus quam punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio.

Tite-Live.

45. — Siège de Sagonte.

Dum ea Romani parant consultantque, jam Saguntum summa vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentissima ultra Hiberum fuit, sita passus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur, mixtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis; ceterum in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu disciplinæ sanctitate, qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. — Hannibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris, urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioremque quam cetera circa vallem vergens; adversus eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoveri posset. Sed, ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit, ita haudquaquam

prospere, postquam ad effectum operis ventum est, cœptis succedebat. Et turris ingens imminebat, et murus, ut in suspecto loco, supra ceteræ modum altitudinis emunitus erat, et juventus delecta, ubi plurimum periculi ac timoris ostendebatur, ibi vi majore obsistebant. Ac primo missilibus submovere hostem nec quicquam satis tutum munientibus pati; deinde jam non pro mœnibus modo atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat; quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant quam Pœni.

TITE-LIVE.

46. — Conduite d'Annibal après la prise de Sagonte.

Annibal, Sagunto capto, Carthaginem Novam in hiberna concesserat; ibique auditis quæ Romæ quæque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli, partitis divenditisque reliquiis prædæ, nihil ultra differendum ratus, hispani generis milites convocat : « Credo ego vos, inquit, socii, et ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniæ populis, aut finiendam nobis militiam exercitusque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum ; ita enim hæ gentes non pacis solum, sed etiam victoriæ bonis florebunt, si ex aliis gentibus prædam et gloriam quæremus. Itaque, cum longinqua a domo instet militia incertumque sit quando domos vestras et quæ cuique ibi cara sunt visuri sitis, si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do. Primo vere edico adsitis ; ut, diis bene juvantibus, bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus. »

Omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat, et jam desiderantibus suos, et longius in

futurum providentibus desiderium. Per totum tempus hiemis quies inter labores aut jam exhaustos aut mox exhauriendos renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda; vere primo, ad edictum convenere.

Annibal, cum recensuisset omnium gentium auxilia, Gades profectus, Herculi vota exsolvit; novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent.

TITE-LIVE.

47. — Passage des Alpes par les troupes d'Annibal.

Hannibal ab Druentia campestri maxime itinere ad Alpes cum bona pace incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, quanquam fama prius, qua incerta in majus vero ferri solent, præcepta res erat, tamen ex propinquo visa montium altitudo nivesque cælo prope immixtæ, tecta informia imposita rupibus, pecora jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu fœdiora terrorem renovarunt. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes, tumulos insidentes, montani; qui, si valles occultiores insedissent, coorti ad pugnam repente ingentem fugam stragemque dedissent. Hannibal consistere signa jussit; Gallisque ad visenda loca præmissis, postquam comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia præruptaque quam extentissima potest valle locat. Tum per eosdem Gallos, haud sane multum lingua moribusque abhorrentes, cum se immiscuissent colloquiis montanorum, edoctus interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta, luce prima subiit tumulos, ut ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus.

TITE-LIVE.

48. — Orage pendant le passage de l'Apennin.

Transeuntem Apenninum adeo atrox adorta tempestas est, ut Alpium prope fœditatem superaverit. Vento mixtus imber cum ferretur in ipsa ora, primo quia aut arma omittenda erant aut contra enitentes vertice intorti affligebantur, constitere ; dein, cum jam spiritum includeret nec reciprocare animam sineret, aversi a vento parumper consedere. Tum vero ingenti sono cælum strepere et inter horrendos fragores micare ignes ; capti auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem effuso imbre, cum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo quo deprensi erant loco castra ponere necessarium visum est. Id vero laboris velut de integro initium fuit : nam nec explicare quidquam nec statuere poterant, nec quod statutum esset manebat, omnia perscindente vento et rapiente. Et mox aqua levata vento, cum super gelida montium juga concreta esset, tantum nivosæ grandinis dejecit, ut omnibus omissis procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti ; tantaque vis frigoris insecuta est, ut ex illa miserabili hominum jumentorumque strage cum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant. Deinde, ut tandem agitando sese movere ac recepere animos et raris locis ignis fieri est cœptus, ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco velut obsessi mansere.

TITE-LIVE.

49. — Annibal marche contre Flaminius.

Annibal, profectus ex hibernis, quia jam Flaminium consulem Arretium pervenisse fama erat, cum aliud



longius, ceterum commodius, ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat. Hispanos et Afros et omne veterani robur exercitus, admixtis ipsorum impedimentis, necubi consistere coactis necessaria ad usus deessent, primos ire jussit; sequi Gallos, ut id agminis medium esset; novissimos ire equites : Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen, maxime Gallos, si tædio laboris longæque viæ, ut est mollis ad talia gens, dilaberentur aut subsisterent, cohibentem. Primi, qua modo præirent duces, per præaltas fluvii ac profundas voragines, hausti pæne limo immergentesque se, tamen signa sequebantur. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant; nec aut corpora animis, aut animos spe sustinebant; alii fessa ægre trahentes membra; alii, ubi semel victis tædio animis procubuissent, inter jumenta et ipsa jacentia passim morientes; maximeque omnium vigiliæ conficiebant, per quadriduum jam et tres noctes toleratæ. Cum, omnia obtinentibus aquis, nihil ubi in sicco fessa sternerent corpora inveniri posset, cumulatis in aqua sarcinis insuper incumbebant.

TITE-LIVE.

50. — Début du combat de Trasimène.

Jam Pœni pervenerant ad loca nata insidiis, ubi maxime montes Cortonenses Trasumennus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio; deinde paulo latior patescit campus, inde colles insurgunt. Ibi castra in aperto locat Hannibal, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret; Baliares ceteramque levem armaturam post montes circumducit; equites ad ipsas fauces

saltus, tumulis apte tegentibus, locat, ut, ubi intrassent Romani, objecto equitatu, clausa omnia lacu ac montibus essent.

Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit, id tantum hostium quod ex adverso erat conspexit ; ab tergo ac super caput decepere insidiæ. Pœnus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul invadendi. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrerunt, eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit quod orta ex lacu nebula campo quam montibus densior sederat agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta eoque magis pariter decucurrerant. Romanus clamore prius undique orto quam satis cerneret se circumventum esse sensit, et ante in frontem lateraque pugnari cœptum est quam satis instrueretur acies aut expediri arma stringique gladii possent

TITE-LIVE.

51. Combat de Trasimène.

Consul, perculsis omnibus, ipse satis, ut in re trepida, impavidus, turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit ut tempus locusque patitur, et, quacumque adire audirique potest, adhortatur ac stare et pugnare jubet : « nec enim inde votis aut imploratione Deum, sed vi ac virtute evadendum esse ; per medias acies ferro viam fieri, et, quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse. » Ceterum præ strepitu ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat, tantumque aberat ut sua signa atque ordines et locum noscerent milites, ut vix

ad arma capienda aptandaque pugnæ competeret animus opprimerenturque quidam, onerati magis iis quam tecti. Et erat in tanta caligine major usus aurium quam oculorum. Ad gemitus vulneratorum ictusque corporum aut armorum, et mixtos terrentium paventiumque clamores, circumferebant ora oculosque. Alii fugientes pugnantium globo illati hærebant; alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes partes nequicquam impetus capti, et ab lateribus montes ac latus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam, nisi in dextera ferroque, salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et nova de integro exorta pugna est.

TITE-LIVE.

52. — Déroute des Romains à Trasimène.

Tres ferme horas pugnatum est, et ubique atrociter; circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. Eum et robora virorum sequebantur et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem; insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques (Ducario nomen erat), facie quoque noscitans consulem : « En, » inquit, « hic est,» popularibus suis, « qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus; jam ego hanc victimam Manibus peremptorum fœde civium dabo. » Subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam objecerat, consulem lancea transfixit; spoliare cupientem triarii objectis scutis arcuere. Magnæ partis fuga inde primum cœpit; et jam nec lacus nec montes pavori obstabant : per omnia arta præruptaque velut

cæsi evadunt, armaque et viri super alium alius præcipitantur. Pars magna, ubi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt; fuere quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit.

TITE-LIVE.

53. — Inquiétudes des Romains après la défaite de Trasimène.

Romæ ad primum nuntium cladis ejus cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronæ, vagæ per vias, quæ repens clades allata quæve fortuna exercitus esset obvios percontantur; et cum, frequentis contionis modo, turba in comitium et curiam versa magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius prætor : « Pugna,inquit,magna victi sumus.» Et,quanquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt consulem cum magna parte copiarum cæsum, superesse paucos, aut fuga passim per Etruriam sparsos aut captos ab hoste. Quot casus exercitus victi[1] fuerant,tot in curas distracti animi eorum erant quorum propinqui sub C. Flaminio consule meruerant, ignorantium quæ cujusque suorum fortuna esset; nec quisquam satis certum habet quid aut speret aut timeat. Postero ac deinceps aliquot diebus ad portas major prope mulierum quam virorum multitudo stetit, aut suorum aliquem aut nuntios de iis opperiens; circumfundebanturque obviis sciscitantes, neque avelli,utique[2] ab notis,priusquam ordine omnia

1. *Exercitus victi* est au génitif. — 2. *Utique*, surtout.

inquisissent poterant. Inde varios vultus digredentium ab nuntiis cerneres, ut cuique læta aut tristia nuntiabantur, gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos.

TITE-LIVE.

54. — La flotte Romaine met en fuite celle d'Asdrubal.

Multas et locis altis positas turres Hispania habet, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utuntur. Inde primo conspectis hostium navibus, datum signum Hasdrubali est, tumultusque prius in terra et castris quam ad mare et ad naves est ortus, nondum aut pulsu remorum strepituque alio nautico exaudito aut aperientibus classem promunturiis ; cum repente eques alius super alium ab Hasdrubale missus vagos in litore quietosque in tentoriis suis, nihil minus quam hostem aut prœlium eo die exspectantes, conscendere naves propere atque arma capere jubet : « classem Romanam jam haud procul portu esse. » Hæc equites dimissi passim imperabant ; mox Hasdrubal ipse cum omni exercitu aderat, varioque omnia tumultu strepunt, ruentibus in naves simul remigibus militibusque fugientium magis e terra quam in pugnam euntium modo. Vixdum omnes conscenderant, cum alii, resolutis oris, in ancoris evehuntur, alii, ne quid teneat, ancoralia incidunt ; raptimque omnia ac præpropere agendo militum apparatu nautica ministeria impediuntur, trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur. Et jam Romanus non appropinquabat modo, sed direxerat etiam in pugnam naves. Itaque non ab hoste et prœlio magis Pœni quam suomet ipsi tumultu turbati, tentata verius pugna quam inita, in fugam averterunt classem.

TITE-LIVE.

55. — Annibal tend un piège à l'armée de Paul-Émile.

Ceterum temeritati consulis ac præpropero ingenio materiam etiam fortuna dedit, quod, in prohibendis prædatoribus tumultuario prœlio ac procursu magis militum quam ex præparato aut jussu imperatorum orto, haudquaquam par Pœnis dimicatio fuit : ad mille et septingenti cæsi, non plus centum Romanorum sociorumque occisis. Ceterum victoribus effuse sequentibus metu insidiarum obstitit Paullus consul, cujus eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat, Varrone indignante ac vociferante « emissum hostem e manibus debellarique, ni cessatum foret, potuisse. » Hannibal id damnum haud ægerrime pati ; quin potius credere velut inescatam temeritatem ferocioris consulis ac novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium haud secus quam sua nota erant : dissimiles discordesque imperitare, duas prope partes[1] tironum militum in exercitu esse. Itaque locum et tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima, nihil præter arma ferenti secum milite, castra plena omnis fortunæ publicæ privatæque relinquit, transque proximos montes læva pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per convallem mediam traducit, ut diripiendis velut desertis fuga dominorum castris occupatum impeditumque hostem opprimeret. Crebri relicti in castris ignes, ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga præciperet[2], falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis consules voluisse.

TITE-LIVE.

1. *Duas partes*, deux tiers.
2. *Longius spatium præcipere*, prendre sur l'ennemi une assez longue avance.

56. — Querelles entre les généraux romains.

Hannibal, spem nanctus locis natis ad equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat, facturos copiam pugnandi consules, dirigit aciem lacessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari ac discordia consulum Romana castra, cum Paullus Semproniique et Flaminii temeritatem Varroni, Varro Paullo speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabium objiceret, testareturque Deos hominesque hic « nullam penes se culpam esse, quod Hannibal jam velut usu cepisset Italiam : se constrictum a collega teneri : ferrum atque arma iratis et pugnare cupientibus adimi militibus, » ille, « si quid projectis ac proditis ad inconsultam atque improvidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpæ exsortem, omnis eventus participem fore » diceret; « videret ut, quibus lingua prompta ac temeraria, æque in pugna vigerent manus. »

Dum altercationibus magis quam consiliis tempus teritur, Hannibal, ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructam, cum in castra ceteras reciperet copias, Numidas ad invadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores trans flumen mittit.

TITE-LIVE.

57. — Siège de Casilinum.

Ceterum, mitescente jam hieme, educto ex hibernis milite Casilinum rediit Hannibal, ubi, quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continua oppidanos præsidiumque ad ultimum inopiæ adduxerat. Castris Romanis Ti. Sempronius præerat, dictatore auspiciorum repetendorum causa profecto Romam;

Marcellum, et ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, et Vulturnus amnis inflatus aquis et preces Nolanorum Acerranorumque tenebant, Campanos timentium, si præsidium Romanum abscessisset. Gracchus, assidens tantum Casilino, quia prædictum erat dictatoris ne quid absente eo rei gereret, nihil movebat, quanquam quæ facile omnem patientiam vincerent nuntiabantur a Casilino : nam et præcipitasse se quosdam, non tolerantes famem, constabat, et stare inermes in muris, nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentes. Ea ægre patiens Gracchus, cum neque pugnam conserere dictatoris injussu auderet (pugnandum autem esse, si palam frumentum importaret, videbat) neque clam importandi spes esset, farre ex agris circa undique convecto cum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum Casilinum misit, « ut exciperent dolia quæ amnis deferret. » Insequenti nocte, intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano factam, dolia medio missa amni defluxerunt, æqualiterque inter omnes frumentum divisum.

TITE-LIVE.

58. — Une ambassade du roi Philippe.

In hanc dimicationem duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentesque animos intenderant, inter quos Philippus Macedonum rex eo magis quod propior Italiæ ac mari tantum Ionio discretus erat. Is, ubi primum fama accepit Hannibalem Alpes transgressum, ut bello inter Romanum Pœnumque orto lætatus erat, ita utrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia jam pugna, tertia victoria cum Pœnis erat, ad fortunam inclinavit legatosque ad Hannibalem misit; qui, vitantes portus Brundisinum Ta-

rentinumque, quia custodiis navium Romanarum tenebantur, ad Laciniæ Junonis templum in terram egressi sunt. Inde per Apuliam petentes Capuam media in præsidia Romana illati sunt deductique ad Valerium Lævinum prætorem, circa Luceriam castra habentem. Ibi intrepide Xenophanes, legationis princeps, a Philippo rege se missum ait ad amicitiam societatemque jungendam cum populo Romano; « mandata habere ad consules ac senatum populumque Romanum. » Prætor inter defectiones veterum sociorum nova societate tam clari regis lætus admodum, hostes pro hospitibus comiter accepit. Dat qui prosequantur; itinera cum cura demonstrat, quæ loca quosque saltus aut Romanus aut hostes teneant.

TITE-LIVE.

59. — La ville de Crotone.

Urbs Croto murum in circuitu patentem duodecim millia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum; post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur; flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat : et arx procul eis quæ habitabantur, sex millia, aberat. In urbe nobili templum ipsa urbe erat nobilius Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi, frequenti silva et proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deæ pecus pascebatur sine ullo pastore : separatimque greges sui cujusque generis nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta et sacrata est : inclitumque templum divitiis etiam, non tantum sanctitate, fuit. Ac miracula aliqua affingunt, ut plerumque tam insignibus locis.

Fama est aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem nullo unquam moveri vento. Sed arx Crotonis, una parte imminens mari, altera vergente in agrum, situ tantum naturali quondam munita, postea et muro cincta est, qua per aversas rupes ab Dionysio, Siciliæ tyranno, per dolum fuerat capta.

TITE-LIVE.

60. — Tib. Gracchus promet la liberté aux volontaires de ses légions.

Legiones magna ex parte volonum Ti. Gracchus habebat, qui jam alterum annum libertatem tacite mereri quam postulare palam maluerant. Senserat tamen, hibernis egrediens, murmur in agmine esse quærentium « en unquam liberi militaturi essent ; » scripseratque senatui non tam quid desiderarent quam quid meruissent : « bona fortique opera eorum se ad eam diem usum : neque ad exemplum justi militis quicquam eis præter libertatem deesse. » De eo permissum ipsi erat, faceret quod e republica duceret esse. Itaque, priusquam cum hoste manum consereret, pronuntiat tempus venisse eis libertatis quam diu sperassent potiundæ : « postero die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute geri res posset : qui caput hostis rettulisset, eum se extemplo liberum jussurum esse : qui loco cessisset, in eum servili supplicio animadversurum : suam cuique fortunam in manu esse. Libertatis auctorem eis non se fore solum, sed consulem M. Marcellum, sed universos Patres : quos consultos ab se de libertate eorum sibi permisisse. » Litteras inde consulis ac senatus consultum recitavit. Ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus : pugnam poscebant, signumque ut daret extemplo llociter instabant.

TITE-LIVE.

61. — Marcellus cherche à s'emparer de Syracuse.

Cum maxime Capua circumvallaretur, Syracusarum oppugnatio ad finem venit, præterquam vi ac virtute ducis exercitusque, intestina etiam proditione adjuta. Namque Marcellus, initio veris, incertus utrum Agrigentum ad Himilconem et Hippocraten verteret bellum, an obsidione Syracusas premeret, quanquam nec vi capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem nec fame, ut quam prope liberi a Carthagine commeatus alerent, tamen, ne quid inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos (erant autem apud Romanos aliqui, nobilissimi viri, inter defectionem ab Romanis, quia ab novis consiliis abhorrebant, pulsi) colloquiis suæ partis tentare hominum animos jussit et fidem dare, si traditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus victuros esse. Non erat colloquii copia, quia multorum animi suspecti omnium curam oculosque eo converterant ne quid falleret tale admissum. Servus unus exsulum, pro transfuga intromissus in urbem, conventis paucis, initium colloquendi de tali re fecit. Deinde in piscatoria quidam nave, retibus operti circumvectique ita ad castra Romana, collocuti cum transfugis; et iidem sæpius eodem modo, et alii atque alii; postremo ad octoginta facti.

Tite-Live.

62. — Les Siciliens et le consul Marcellus.

His senatus consultis perfectis, sortiti provincias consules. Sicilia et classis Marcello, Italia cum bello adversus Hannibalem Lævino evenit. Quæ sors, velut iterum captis Syracusis, ita exanimavit Siculos exspec-

tatione sortis in consulum conspectu stantes, ut comploratio eorum flebilesque voces et extemplo oculos hominum converterent, et postmodo sermones præbuerint. Circumibant enim senatorum domos cum veste sordida, affirmantes se, non modo suam quosque patriam, sed totam Siciliam relicturos, si eo Marcellus iterum cum imperio redisset. « Nullo suo merito eum ante implacabilem in se fuisse : quid iratum quod Romam de se questum venisse Siculos sciat,facturum? Obrui Ætnæ ignibus aut mergi freto satius illi insulæ esse quam velut dedi noxæ inimico. » Hæ Siculorum querelæ, domos primum nobilium circumlatæ celebratæque sermonibus, quos partim misericordia Siculorum, partim invidia Marcelli excitabat, in senatum etiam pervenerunt. Postulatum a consulibus est ut de permutandis provinciis senatum consulerent.

TITE-LIVE.

63. — Crainte des Romains à l'arrivée d'Asdrubal en Italie.

Consules, diversis itineribus profecti ab urbe, velut in duo pariter bella distenderant curas hominum, simul recordantium quas primus adventus Hannibalis intulisset Italiæ clades, simul, cum illa angeret cura, « quos tam propitios urbi atque imperio fore deos,ut eodem tempore utrobique res publica prospere gereretur ? Adhuc adversa secundis pensando rem ad id tempus extractam esse : cum in Italia ad Trasumennum et Cannas præcipitasset romana res, prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse ; postea, cum in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset, multa secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam rempublicam excepisse ; et ipsum intervallum loci,

quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. Nunc duo bella in Italiam accepta, duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem romanam, et unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse. Qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero juncturum. »

TITE-LIVE.

64. — Le repos d'Hannibal redoutable pour les Romains.

Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est. Nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico privatoque, neque lacessierunt quietum Romani : tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce censebant. Ac nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus fuerit : quippe qui, cum in hostium terra per annos tredecim tam procul ab domo varia fortuna bellum gereret exercitu non suo civili, sed mixto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope dii essent, — ita quodam uno vinculo copulaverit eos ut nulla nec inter ipsos nec adversus ducem seditio exstiterit, cum et pecunia sæpe in stipendium et commeatus in hostium agro deessent, quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Hasdrubalis vero exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum, cui non videatur mirabile nullum motum in castris factum? Nam ad cetera id quoque accesserat ut ne alendi quidem exercitus nisi ex

Bruttio agro spes esset, qui, ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat.

TITE-LIVE.

65. — Les Carthaginois à l'approche de Scipion.

Carthagini ingens erat terror, cum circumferentem arma Scipionem, omnibus finitimis raptim perdomitis, ipsam Carthaginem repente aggressurum crederent. Itaque et muri reficiebantur, propugnaculisque armabantur; et pro se quisque, quæ obsidioni tolerandæ sunt, ex agris convehit. Rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Hannibalem arcessendum mittendorum. Pars maxima classem, quæ ad commeatus intercipiendos parata erat, mittere suadent ad opprimendam stationem navium Uticæ incaute agentem. Sed cum vident classi ut felicissime gerantur res, parte aliqua levari Uticæ obsidionem posse. Carthaginem vero ipsam qui tueantur neque imperatorem alium quam Hannibalem, neque exercitum alium quam Hannibalis superesse, deductæ statim naves simul et legati in Italiam profecti : omnia, stimulante fortuna, raptim aguntur ; et in quo quisque cesset, prodi ab se communem salutem putat. Scipio gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera castra ad Uticam missis, jam in Carthaginem intentus, occupat relictum fuga custodum Tuneta, qui locus et ab Carthagine conspici, et præbere ipse conspectum cum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi posset.

TITE-LIVE.

66. — Plaintes des Gaulois au Sénat.

Marcellus nuntium præmisit ad L. Porcium proconsulem, ut ad novum Gallorum oppidum legiones admo-

veret. Advenienti consuli Galli sese dediderunt. Duodecim millia armatorum erant. Plerique arma ex agris rapta habebant. Ea ægre patientibus iis adempta, quæque alia aut populantes agros rapuerant, aut secum attulerant. De his rebus qui quererentur, legatos Romam miserunt. Introducti in senatum a C. Valerio prætore exposuerunt « se, superante in Gallia multitudine, inopia coactos agri et egestate ad quærendam sedem Alpes transgressos : quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine ullius injuria consedisse. Oppidum quoque ædificare cœpisse : quod indicium esset, nec agro, nec urbi ulli vim allaturos venisse. Nuper M. Claudium ad se nuntium misisse, bellum se cum iis, ni dederentur, gesturum. Se, certam, etsi non speciosam, pacem quam incerta belli præoptantes, dedidisse se prius in fidem quam in potestatem populi romani. Post paucos dies, jussos et agro et urbe decedere, sese tacitos abire quo terrarum possent in animo habuisse; arma deinde sibi, et postremo omnia alia quæ ferrent agerentque, adempta. Orare se senatum, ne in se innoxios deditos acerbius quam in hostes sæviret. »

TITE-LIVE.

67. — Ascension du mont Hémus par le roi Philippe.

Philippus Mædicam primum, deinde solitudines interjacentes Mædicæ atque Hæmo transgressus, septimis demum castris ad radices montis pervenit. Ibi unum moratus diem ad deligendos quos duceret secum, tertio die iter est ingressus. Modicus primo labor in imis collibus fuit : quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque silvestria et pleraque invia loca excipiebant. Pervenere deinde in tam opacum iter, ut, præ densitate arborum immissorumque aliorum in alios

ramorum, perspici cælum vix posset; ut vero jugis appropinquabant, quod rarum in altis locis est, adeo omnia contecta nebula, ut haud secus quam nocturno itinere impedirentur. Tertio demum die ad verticem perventum. Nihil vulgatæ opinioni (Ponticum simul et Hadriaticum mare et Alpes conspici posse) degressi inde detraxerunt, magis, credo, ne vanitas itineris ludibrio esset, quam quod diversa inter se maria montesque et amnes ex uno loco conspici potuerint. Vexati omnes, et ante alios rex ipse, quo gravior ætate erat, difficultate viæ est. Duabus aris ibi Jovi et Soli sacratis cum immolasset, qua triduo ascenderat, biduo est degressus, frigora nocturna maxime metuens, quæ caniculæ ortu similia brumalibus erant.

TITE-LIVE.

68. — Mort de Cicéron.

M. Cicero, sub adventum triumvirorum, cesserat urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se quam Cæsari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugit ; inde, transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum, cum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit ; regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest : « Moriar, inquit, in patria sæpe servata. » Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum ; ipsum deponi lecticam, et quietos pati quod sors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lectica præbentique immotam cervicem, caput præcisum est. Nec satis id stolidæ crudelitati militum fuit : manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes,

præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat. Vix attollentes præ lacrimis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant.

TITE-LIVE.

69. — Les premières années d'Ovide.

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem.
Editus hic ego sum : necnon, ut tempora noris,
Cum cecidit fato consul uterque pari.
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres ;
Non modo Fortunæ munere factus eques.
Nec stirps prima fui : genito sum fratre creatus,
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem ;
Una celebrata est per duo liba dies.
Protinus excolimur teneri, curaque parentis
Imus ad insignes urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo,
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi jam puero cælestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Sæpe pater dixit : « Studium quid inutile tentas ?
Mæonides nullas ipse reliquit opes. »
Motus eram dictis ; totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis :
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere versus erat.
Temporis illius colui fovique poetas :
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum : nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.

OVIDE.

70. — Ovide exilé à un ami.

Scribis ut oblectem studio lacrimabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod, amice, mones, quia carmina lætum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.
Nostra per adversas agitur fortuna procellas,
Sorte nec ulla mea tristior esse potest.
Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, et est multo quam fuit ante minus.
Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager :
Tempore qui longo steterit, male curret, et inter
Carceribus missos ultimus ibit equus :
Vertitur in teneram cariem rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacarit aquis.
Me quoque despero, fuerim cum parvus et ante,
Illi, qui fueram, posse redire parem.
Contudit ingenium patientia longa laborum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.
Sæpe tamen nobis, ut nunc quoque, sumpta tabella est
Inque suos volui cogere verba pedes :
Carmina scripta mihi sunt nulla, aut qualia cernis,
Digna sui domini tempore, digna loco.

OVIDE.

71. — Le malheur fait connaître les vrais amis.

Dum juvat et vultu ridet fortuna sereno,
  Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,
  Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc, exemplis quondam collecta priorum,
  Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.
Vix duo tresve mihi de tot superestis amici :
  Cetera fortunæ, non mea, turba fuit.
Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis,
  Et date naufragio littora tuta meo.
Teque velim primum, qui me, carissime, primus
  Ausus es alloquio sustinuisse tuo !
Omnes exemplum fidei officiique sequantur,
  O tutela meis tempus in omne malis !
Di tibi sint faciles, et opis nullius egentem
  Fortunam præstent dissimilemque meæ !
Si tamen hæc navis vento ferretur amico,
  Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
  Si non infernas vivus adisset aquas :
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
  Hyrtacidæ Niso gloria nulla foret.

OVIDE.

72. — On gaspille son existence.

Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac neglegentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est :

non accepimus brevem vitam, sed fecimus ; nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplæ et regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt ; ita ætas nostra bene disponenti multum patet.

Quid de rerum natura querimur? illa se benigne gessit : vita, si scias uti, longa est. Alium insatiabilis tenet avaritia ; alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas ; alius vino madet, alius inertia torpet ; alium defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio ; alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, spe lucri, ducit. Quosdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios ; sunt quos ingratus superiorum cultus voluntaria servitute consumat. Quibusdam nihil quo cursum dirigant placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendunt, adeo ut quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est, verum esse non dubitem :

Exigua pars est vitæ quam nos vivimus.

SÉNÈQUE.

73. — La modération.

Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Quædam interpretatio eo perducit ut videantur injuriæ. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia ignoscenda. Circumscribenda multis modis ira est : pleraque in lusum jocumque vertantur. Socratem aiunt, colapho percussum, nihil amplius dixisse, quam, « molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. » Non

quemadmodum facta sit injuria refert, sed quemadmodum lata. Nec video quare difficilis sit moderatio, cum sciam tyrannorum quoque tumida et fortuna et licentia ingenia familiarem sibi sævitiam repressisse. Pisistratum certe, Atheniensium tyrannum, memoriæ proditur, cum multa in crudelitatem ejus ebrius conviva dixisset, nec deessent qui vellent manus ei commodare, et alius hinc, alius illinc eum excitarent, placido animo tulisse et hoc irritantibus respondisse : « Non magis illi se succensere quam si quis obligatis oculis in se incurrisset. »

SÉNÈQUE.

74. — Contre le soupçon et l'emportement.

Tollenda ex animo suspicio, fallacissimum irritamentum. Ille me parum humane salutavit, ille inchoatum sermonem cito abrupit, ille ad cenam non vocavit, illius vultus aversior visus est. Non deerit suspicioni argumentatio. Res potius benigne æstimentur. Nihil nisi quod in oculos incurret manifestumque erit credamus, et quoties suspicio nostra vana apparuerit, objurgemus credulitatem. Hæc enim castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi. Inde et illud sequitur, ut minimis sordidisque rebus non exacerbemur. Infelicis valetudinis est, quem levis aura contraxit; affecti sunt oculi quos candida vestis obturbat; dissolutus est deliciis, cujus latus alieno labore condoluit. Mindyridem aiunt fuisse ex Sybaritarum civitate : qui, cum vidisset fodientem et altius rastrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere. Idem vibicem habere sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset. Ubi animum simul et corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur : non quia dura,

sed quia molliter patimur. Quid enim est cur tussis alicujus, aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata nos in rabiem agat, aut observatus canis, aut clavis negligentis servi manibus elapsa? Feret iste æquo animo civile convicium et ingesta in contione curiave maledicta, cujus aures tracti subsellii stridor offendit? Perpetietur hic famem et æstivæ expeditionis sitim, qui puero male diluenti nivem irascitur?

SÉNÈQUE.

75. — De la Providence.

Supervacuum est ostendere præesse universis providentiam, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quæ casus incitat, sæpe turbari et cito arietare ; hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum et ex dispositione lucentium ; non esse materiæ errantis hunc ordinem : neque quæ temere coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum, et circa se properantis cæli fugam spectet ; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum sentiant ; ut ex minimis seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quæ videntur confusa et incerta, pluvias dico nubesque, et elisorum fulminum jactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, et alia, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt. Sed suas et illa causas habent, non minus quam quæ alienis locis conspectus miracula sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquæ, et nova insularum in vasto exsilientium mari spatia. Suo ista tempori reserventur. Faciam nunc rem difficilem : causam deorum agam, de

quorum providentia minus dubitatur quam quæritur. In gratiam homines reducam cum diis adversus optimos optimis; neque enim rerum natura patitur ut unquam bona bonis noceant. Etenim inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute.

Sénèque.

76. — Les Abeilles.

Interdiu statio ad portas more castrorum. Noctu, quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut bucino aliquo. Tunc universæ provolant, si dies mitis futurus est; prædivinant enim ventos imbresque et se continent tectis. Itaque temperie cæli (et hoc inter præscita habent), cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore; guttasque lanugine totius corporis. Quibus est earum adolescentia ad opera exeunt et supra dicta convehunt, seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro : totæque onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ quaternæque, et exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis et cibi fiat et temporis. Mira observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia e medio, nullæque inter opera spurcitiæ jacent. Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet eodem quo excitavit bombo, ceu quietem capere imperans : et hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt.

Pline l'Ancien.

77. — Éloge de Jules César.

Animi vigore præstantissimum arbitror genitum Cæsarem dictatorem. Nec virtutem constantiamque nunc commemoro, nec sublimitatem omnium capacem quæ cælo continentur, sed proprium vigorem celeritatemque quodam igne volucrem. Scribere aut legere, simul dictare et audire solitum accepimus ; epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut, si nihil aliud ageret, septenas. Idem signis collatis quinquagies dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat. Nam, præter bellorum civilium stragem, undecies centena fere millia hominum occisa prœliis ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam, etiam coactam, humani generis injuriam : quod ita esse confessus est ipse, bellorum civilium stragem non prodendo. Cæsari autem peculiare sit, præter supra dicta, clementiæ insigne, qua usque ad pœnitentiam omnes superavit. Spectacula enim edita effusasque opes aut operum magnificentiam enumerare, vanitati faventis esset. Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas, captis apud Pharsaliam Pompeii scriniis, iterumque apud Thapsum Scipionis, concremasse ea optima fide atque non legisse.

Pline l'Ancien.

78. — Annibal s'éloigne des murs de Rome.

Respectans abit, et castris avulsa moveri
Signa jubet ductor, remeaturumque minatur.
Redditur extemplo flagrantior æthere lampas,
Et tremula infuso resplendent cærula Phœbo.
At procul e muris videre ut signa revelli

Æneadæ versumque ducem tacita ora vicissim
Ostentant nutuque docent quod credere magno
Non audent hærente metu; nec abire volentis,
Sed fraudem insidiasque putant, et Punica corda :
Ac tacitæ natis infigunt oscula matres,
Donec procedens oculis sese abstulit agmen,
Suspectosque dolos dempto terrore resolvit.
Tum vero passim sacra in Capitolia pergunt,
Inque vicem amplexi permixta voce triumphum
Tarpeii clamant Jovis, ac delubra coronant.
Jamque omnes pandunt portas; ruit undique lætum,
Non sperata petens dudum sibi gaudia, vulgus.
Hi spectant, quo fixa loco tentoria regis
Adstiterint : hi, qua celsus de sede vocatas
Adfatus fuerit turmas : ubi belliger Astur,
Atque ubi atrox Garamas sævusque tetenderit Hannon.
Corpora nunc viva sparguntur gurgitis unda :
Nunc Anienicolis statuunt altaria Nymphis.
Tum festam repetunt, lustratis mœnibus, urbem.

SILIUS ITALICUS.

79. — On ne possède vraiment que ce qu'on a donné.

Credis ob hoc me, Cæsar, opes fortasse rogare
    Propter quod vulgus vanaque turba rogat ?
Ut fecunda meos consumat gleba ligones,
    Et sonet innumera compede tuscus ager ;
Ut centum Libyæ surgant ex ordine mensæ,
    Et crepet in nostris aurea lamna toris ;
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
    Et faciant nigras nostra Falerna nives :
Ut multus Romæ nostro Syrus assere sudet,
    Et mea sit culto sella cliente frequens ;
Ut lutulenta linat tyrias mihi mula lacernas,

Et Numidam ante omnes virga gubernet equum
Est nihil ex istis ; superos ac sidera testor.
Ergo, quid ? ut donem, ditior esse velim.
Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Non reddet sterilis semina jacta seges ;
Debitor usuram pariter sortemque negabit ;
Mercibus exstructas obruet unda rates.
Extra fortunam est si quid donatur amicis ;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

MARTIAL.

80. — Mœurs primitives de Rome.

Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter consulis, atque
Castrorum imperiis et dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios durumque Catonem,
Et Scauros et Fabricios, rigidique severos
Censoris mores etiam collega timeret ;
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum ;
Sed nudo latere, et parvis frons æręa lectis
Vite coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni :
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis et graias mirari nescius artes,
Urbibus eversis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,

Ut phaleris gauderet equus.....
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

JUVÉNAL.

81. — Ce qu'il faut demander aux dieux.

Nil ergo optabunt homines ? — Si consilium vis
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris ;
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt di.
Carior est illis homo quam sibi. Nos animorum
Impulsu, et cæca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus partumque uxoris ; at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura est uxor.
Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
Exta et candiduli divina tomacula porci,
Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis ærumnas credat sævosque labores
Et Venere, et cenis, et pluma Sardanapali.
Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen abest, si sit prudentia : nos te,
Nos facimus, Fortuna, deam cæloque locamus.

JUVÉNAL.

82. — L'homme se distingue des animaux surtout par le langage.

Deus ille princeps, parens rerum fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit a ceteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi

facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præstantiora in illis mutis videmus ; eadem minus egere acquisitæ extrinsecus opis : nam et ingredi citius, et pasci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, et arma iis ingenita quædam, et ex obvio fere victus, circa quæ omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret neque tam esset in nobis manifesta, nisi, quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus, quod magis deesse ceteris animalibus quam intellectum et cogitationem quamdam videmus. Nam et moliri cubilia, et nidos texere, et educare fetus, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum et mellis, efficere, nonnullius fortasse rationis est ; sed quia carent sermone, quæ id faciunt muta atque irrationalia vocantur.

QUINTILIEN.

83. — Devoirs d'un maître envers ses élèves.

Sumat ante omnia præceptor parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum a quibus sibi liberi tradantur existimet ; ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo : nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus, nec tamen eorum quæ emendanda erunt dissimulator ; simplex in docendo ; patiens laboris ; assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes

percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus ; quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emendando quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus ; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius, præcipueque ejus præceptoris quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant et verentur.

QUINTILIEN.

84. — La rhétorique est-elle utile ?

Sequitur quæstio : An utilis rhetorice ? nam quidam vehementer in eam invehi solent : et, quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi viribus : « Eloquentiam esse,quæ pœnis eripiat scelestos ; cujus fraude damnentur interim boni ; consilia ducantur in pejus ; nec seditiones modo turbæque populares, sed bella etiam inexpiabilia excitentur ; cujus denique tum maximus sit usus, cum pro falsis contra veritatem valet. » Nam et Socrati objiciunt comici, docere eum, quomodo pejorem causam meliorem faciat : et, contra, Tisiam et Gorgiam similia dicit polliceri Plato. Et his adjiciunt exempla Græcorum Romanorumque, et enumerant qui, perniciosa non singulis tantum, sed rebus etiam publicis usi eloquentia, turbaverint civitatium status, vel everterint ; eoque et Lacedæmoniorum civitate expulsam, et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut recisam orandi potestatem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa

denique sapientia ; nam et in medicis venena, et in iis qui philosophorum nomine male utuntur gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt.

QUINTILIEN.

85. — Utilité de l'histoire pour l'orateur.

Historia quoque alere oratorem quodam uberi jucundoque succo potest; verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas : etenim proxima poetis et quodam modo carmen solutum est, et scribitur ad narrandum, non ad probandum, totumque opus non ad actum rei pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur : ideoque et verbis remotioribus, et liberioribus figuris narrandi tædium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem et sæpius ineruditum, captanda nobis est ; neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Ideoque M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quamquam illum bellicum canere, hujus ore Musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum, in his de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarum toris, sed militum lacertis opus esse ; nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.

QUINTILIEN.

86. — Utilité de la lecture pour l'orateur.

Duo autem genera maxime cavenda pueris puto. Unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in

Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit : fient enim horridi atque jejuni; nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur, et elocutione, quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur. Alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ut prædulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius quo propius est, adament. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaserim et antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet; et novos, quibus et ipsis multa virtus adest. Neque enim nos tarditatis natura damnavit; sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis quam oportebat indulsimus : ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere, sed curandum erit ne iis quibus permixta sunt inquinentur. Quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim?

QUINTILIEN.

87. — Utilité des traductions pour l'orateur.

Vertere græca in latinum veteres nostri oratores optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis « de Oratore » libris dicit factitasse : id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit : quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos : id Messalæ placuit, multæque sunt ab eo scriptæ ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne, difficillima Romanis, subtilitate

contenderet. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio : nam et rerum copia græci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt, et hos transferentibus, verbis uti optimis licet : omnibus enim utimur nostris : figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quædam est, quia plerumque a græcis romana dissentiunt. Sed et illa ex latinis conversio multum et ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius; nam et sublimis spiritus attollere orationem potest, et verba, poetica libertate audaciora, non præsumunt eadem proprie dicendi facultatem.

QUINTILIEN.

88. — Les historiens grecs.

Historiam multi scripsere præclare; sed nemo dubitat longe duos ceteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pæne est parem consecuta. Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides; dulcis et candidus et fusus Herodotus; ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille contionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate. — Theopompus his proximus, ut in historia prædictis minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator. — Philistus quoque meretur qui turbæ quamvis bonorum post eos auctorum eximatur, imitator Thucydidi, et, ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. — Ephorus, ut Isocrati visum, calcaribus eget. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. — Longo post intervallo temporis natus Timagenes vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude repa-

ravit. Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.

QUINTILIEN.

89. — Les tragiques grecs.

Tragœdiam primus in lucem Æschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus sæpe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus : propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego sane, quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis qui se ad agendum comparant utiliorem longe fore Euripiden. Namque is et sermone (quod ipsum quoque reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi et sententiis densus, et in iis quæ a sapientibus tradita sunt pæne ipsis par, et dicendo ac respondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro diserti comparandus; in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis qui in miseratione constant facile præcipuus.

QUINTILIEN.

90. — L'éloquence des philosophes grecs.

Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? Multum

enim supra prosam orationem, quam pedestrem Græci vocant, surgit, ut mihi non hominis ingenio, sed tam quam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem Xenophontis illam jucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit, ut ipsæ sermonem finxisse Gratiæ videantur et, quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quamdam persuadendi deam? Quid reliquorum Socraticorum elegantiam? Quid Aristotelem? Quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi vi ac suavitate an inventionum acumine an varietate operum clariorem putem. Nam in Theophrasto tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiæ Stoici veteres, sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque quæ instituerant plurimum valuerunt, rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non affectaverunt, oratione magnifici.

Quintilien.

91. — L'élégie et la satire à Rome.

Elegia quoque Græcos provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus. — Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium « fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis » putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. Multum eo est tersior ac purus

magis Horatius, et, nisi labor ejus amore, præcipuus. — Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur. — Alterum illud etiam prius satiræ genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguæ latinæ et omnis antiquitatis et rerum græcarum nostrarumque, plus tamen scientiæ collaturus quam eloquentiæ.

QUINTILIEN.

92 — Jugement sur Sénèque écrivain.

Senecæ et multæ et magnæ virtutes fuerunt : ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio ; in qua tamen aliquando ab his quibus inquirenda quædam mandabat deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam ; nam et orationes ejus, et poemata, et epistolæ, et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit : multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda ; sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio ; nam si ille quædam contempsisset, si parum sana non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis et severiore genere satis firmatis legendus, vel ideo quod exercere potest utrinque judicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt : eligere modo curæ sit, quod

utinam ipse fecisset; digna enim fuit illa natura quæ meliora vellet : quod voluit effecit.

QUINTILIEN.

93. — Quand l'orateur doit songer à la retraite.

Omnibus dicendi virtutibus usus orator in judiciis, contionibus, senatu, in omni denique officio boni civis, finem quoque dignum et optimo viro et opere sanctissimo faciet : non quia prodesse unquam satis sit, et illa mente atque illa facultate prædito non conveniat operis pulcherrimi quam longissimum tempus; sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid pejus quam fecerit, faciat. Neque enim scientia modo constat orator, quæ augetur annis, sed voce, latere, firmitate; quibus fractis aut imminutis ætate seu valetudine, cavendum est ne quid in viro summo desideretur, ne intersistat fatigatus, ne quæ dicet parum audiri sentiat, ne se quærat priorem. Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum, valde senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem, cum, agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii (quod indignum videatur) riderent, alii erubescerent : quæ occasio illis fuit dicendi malle eum deficere quam desinere. Neque erant illa qualiacumque mala, sed minora. Quare antequam in has ætatis veniat angustias, receptui canet, et in portum integra nave perveniet.

QUINTILIEN.

94. — Percennius excite les soldats à la révolte.

Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax

lingua, et miscere cœtus histrionali studio doctus. Is imperitos animos, et quænam post Augustum militiæ condicio ambigentes, impellere paullatim nocturnis colloquiis, aut, flexo in vesperam die et dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo, promptis jam et aliis seditionis ministris, velut contionabundus interrogabat : « cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum obœdirent; quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent. Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent ; ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum tendentes, alio vocabulo eosdem labores perferre ; ac, si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi, per nomen agrorum, uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam : denis in diem assibus animam et corpus æstimari ; hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum et vacationes munerum redimi. »

TACITE.

95 .— Combat naval sur le lac Fucin.

Sub idem tempus, inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prœlium adornatur, ut quondam Augustus, structo circa Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia, ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et prœlio solita. In ratibus prætoriarum cohortium

manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultæ ballistæque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas et colles ac montium edita, in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis e municipiis et alii Urbe ex ipsa, visendi cupidine aut officio in principem. Ipse insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere. Pugnatum, quanquam inter sontes, fortium virorum animo; ac, post multum vulnerum, occidione exempti sunt.

TACITE.

96. — Haine de Néron contre Britannicus.

Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem, levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset. Festis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa nec ruborem allatura : ubi Britannico jussit exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis, ille constanter exorsus est carmen quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. Unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero, intellecta invidia, odium intendit ; urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur parique venenum jubet, ministro Pollione Julio, prætoriæ cohortis tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama.

TACITE.

97. — Jugement de Tacite sur Galba.

Galbæ corpus diu neglectum et plurimis ludibriis vexatum, licentia tenebrarum, dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. Caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato jam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Serv. Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus, et alieno imperio felicior quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes : ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus nec venditator; pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus; amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconsul Africam moderate, jam senior citeriorem Hispaniam pari justitia continuit : major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

Tacite.

98. — Vitellius visite le champ de bataille de Bédriac.

Vitellius Cremonam flexit et spectatis, quos Cæcina ediderat, gladiatoriis ludis, insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis concupivit. Fœdum atque atrox spectaculum : intra quadragesimum pugnæ diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formæ, infecta tabo

humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. Nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constraverant, exstructis altaribus cæsisque victimis regium in morem. Aderant Valens et Cæcina monstrabantque pugnæ locos : « hinc irrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. » Jam tribuni præfectique, sua quisque facta extollentes, falsa, vera, aut majora vero miscebant. Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere ; aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. Et erant quos varia sors rerum lacrimæque et misericordia subiret ; at non Vitellius flexit oculos nec tot millia insepultorum civium exhorruit : lætus ultro et tam propinquæ sortis ignarus instaurabat sacrum diis loci.

TACITE.

99. — Entrée de Vitellius à Rome.

Ipse Vitellius a ponte Mulvio, insigni equo, paludatus accinctusque senatum et populum ante se agens, quominus ut captam Urbem ingrederetur amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta et composito agmine incessit. Quattuor legionum aquilæ per frontem totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques, dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent, discretæ. Ante aquilas præfecti castrorum tribunique et primi centurionum candida veste, ceteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phaleræ torquesque splendebant. Decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus, Augustæ nomine honoravit.

Postera die, tanquam apud alterius civitatis senatum populumque magnificam orationem de semetipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus attollens, consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat.

TACITE.

100. — Mort de Junius Blésus.

Gravi corporis morbo æger Vitellius Servilianis hortis turrim vicino sitam collucere per noctem crebris luminibus animadvertit. Sciscitanti causam, apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum nuntiatur; cetera in majus de apparatu et solutis in lasciviam animis; nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blæsum incusarent, quod ægro principe lætos dies ageret. Ubi asperatum Vitellium et posse Blæsum perverti satis patuit iis qui principum offensas acriter speculantur, datæ L. Vitellio delationis partes. Ille, infensus Blæso æmulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium ejus sinu complexus et genibus accidens. Causam confusionis quærenti, « non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris, preces lacrimasque attulisse. Frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot provinciæ virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immensis spatiis arceat; in Urbe ac sinu cavendum hostem, Junios Antoniosque avos jactantem, qui se stirpe imperatoria comem ac magnificum militibus ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius, amicorum inimicorumque neglegens, fovet æmulum principis labores e convivio prospectantem. Reddendam pro in-

tempestiva lætitia mæstam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et imperare et,si quid fato accidat, filium habere. »

Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blæsi mors maturam perniciem, palam jussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari.

TACITE.

101. — Derniers moments de Vitellius.

Vitellius, capta Urbe, per aversam palatii partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur; ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et, quæ natura pavoris est, cum omnia metuenti præsentia maxime displicerent, in palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum ejus declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; tentat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore et pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctæ pone tergum manus : laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrimante : deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret, an tribunum appetierit, in incerto fuit : aurem tribuni amputavit ac statim confossus est. Vitellium, infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbæ occisi locum contueri, postremo ad Gemonias propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti « se tamen imperatorem ejus fuisse » respondit. Ac deinde ingestis vulneribus concidit.

TACITE.

102. — Après le meurtre de Vitellius.

Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax cœperat. Armati per Urbem victores implacabili odio victos consectabantur; plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos; si quem procerum habitu et juventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quæ sævitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. Nihil usquam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum, vel, si resisteretur, causa cædis; nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos : alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et fortuna captæ urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares; quippe inter turbas et discordias pessimo cuique plurima vis, pax et quies bonis artibus indigent.

TACITE.

103. — Soulèvement de Florus et de Sacrovir.

Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere : cujus exstimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir. Nobilitas ambobus et majorum bona facta, eoque romana civitas olim data, cùm id rarum, nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque adsumpto aut quibus ob egestaem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessi-

tudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et cœtus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate fenoris, sævitia ac superbia præsidentium : et « discordare militem, audito Germanici exitio : egregium resumendæ libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent. » Haud ferme ulla civitas intacta seminibus ejus motus fuit : sed erupere primi Andecavi ac Turoni. Quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quæ Ludguni præsidium agitabat, coercuit. Turoni legionario milite, quem Visellius Varro, inferioris Germaniæ legatus, miserat, oppressi.

TACITE.

104. — Tacfarinas et Mazippa sont vaincus en Afrique.

Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is, natione Numida, in castris romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad prædam et raptus congregare ; dein, more militiæ, per vexilla et turmas componere ; postremo non inconditæ turbæ, sed Musulamorum dux haberi. Valida ea gens et solitudinibus Africæ propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma Maurosque accolas in bellum traxit. Dux et his, Mazippa : divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et cædes et terrorem circumferret. Compulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem ; cum Furius Camillus, proconsul Africæ, legionem et quod sub signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit : modicam ma-

num, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares; sed nihil æque cavebatur quam ne bellum metu eluderent : spe victoriæ inducti sunt ut vincerentur.

TACITE.

105. — Jouissances que procure l'éloquence.

Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jucunditas non uno aliquo momento, sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum, idque scire non pecuniæ, non orbitati, non officii alicujus administrationi, sed sibi ipsi dari? ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad juvenem et pauperem, ut aut sua, aut amicorum discrimina commendent? Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare homines veteres et senes, et totius urbis gratia subnixos, in summa omnium rerum abundantia, confitentes id quod optimum sit se non habere? Jam vero qui togatorum comitatus et egressus ! quæ in publico species ! quæ in judiciis veneratio ! quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum, et circumfundi coronam, et accipere affectum quemcumque orator induerit.

TACITE.

106. — Temps favorables à l'éloquence.

Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur, et motibus excitatur, et urendo clarescit. Eadem ratio

in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam, etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt quæ, composita et quieta et beata republica, tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum, mixtis omnibus et moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet quantum erranti populo persuadere poterat. Hinc leges assiduæ et populare nomen, hinc inimicitiæ, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina : quæ singula, etsi distrahebant rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare præmiis videbantur, quia, quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant; hos et præturæ et consulatus vocare ultro videbantur.

TACITE.

107. — Éloge de la poésie.

Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur ; sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia ; hoc primum habitu cultuque commendata mortalibus, in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit : sic oracula loquebantur. Nam lucrosæ hujus

et sanguinantis eloquentiæ usus, recens, et malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud, et, ut more nostro loquar, aureum sæculum, et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria major aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicum, sed Orphea et Linum, ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus.

TACITE.

108. — Pline à Tacite.

Librum tuum legi et quam diligentissime potui adnotavi quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere adsuevi et tu libenter audire. Neque enim ulli patientius reprehenduntur quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto. O jucundas, o pulchras vices! Quam me delectat quod, si qua posteris cùra nostri, usquequaque narrabitur qua concordia, simplicitate, fide vixerimus! Erit rarum et insigne duos homines ætate, dignitate propemodum æquales, non nullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico), alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum jam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi *longo sed proximus intervallo* et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi (ita similitudo naturæ ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo quod, si quis de studiis sermo, una nominamur, quod

de te loquentibus statim occurro. Nec desunt qui utrique nostrum præferantur. Sed nos, nihil interest mea quo loco, jungimur : nam mihi primus qui a te proximus. Quin etiam in testamentis debes adnotasse : nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata et quidem pariter accipimus. Quæ omnia huc spectant ut invicem ardentius diligamus, cum tot vinculis nos studia, mores, fama, suprema denique hominum judicia constringant. Vale.

PLINE LE JEUNE.

109. — La passion du cirque.

Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos jucundissima quiete transmisi. « Quemadmodum, inquis, in urbe potuisti? » Circenses erant ; quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quo magis miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla. Nunc favent panno, pannum amant : et, si in ipso cursu medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod vilius tunica est, sed apud quosdam graves homines! quos ego cum recordor in re inani, frigida, assidua, tam insatiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem quod hac voluptate non capior. Ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.

PLINE LE JEUNE.

110. — Sur la mort du poète Martial.

Audio Valerium Martialem decessisse, et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis quos de me composuit. Fuit moris antiqui eos qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare : nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc in primis exolevit : nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu, si placuerint hi, ceteros in libro requires. Alloquitur Musam, mandat ut domum meam in Esquiliis quærat, adeat reverenter :

Sed, ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum
Hoc quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas;
Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli :
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum qui hæc de me scripsit, et tunc dimisi amicissime, et nunc, ut amicissimum, defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maxime potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi, quid homini potest dari majus quam gloria, et laus, et æternitas? At non erunt æterna quæ scripsit. Non erunt fortasse ; ille tamen scripsit, tanquam essent futura. Vale.

PLINE LE JEUNE.

111. — Pline à Caninius.

Sum ex iis qui mirer antiquos : non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Atque adeo nuper audivi Verginium Romanum, paucis legentem comœdiam, ad exemplar veteris comœdiæ scriptam tam bene, ut esse quandoque possit exemplar. Nescio an noris hominem, quanquam nosse debes. Est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime. Nullum est enim genus quod absolutum non possit eloquentissimum dici. Scripsit comœdias, Menandrum aliosque ætatis ejusdem æmulatus. Licet has inter Plautinas Terentianasque numeres. Nunc primum se in vetere comœdia, sed non tanquam inciperet, ostendit. Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. Ornavit virtutes, insectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris usus est apte. Circa me tantum benignitate nimia modum excessit ; nisi quod tamen poetis mentiri licet. In summa, extorquebo ei librum, legendumque, immo ediscendum, mittam tibi. Neque enim dubito futurum ut non deponas, si semel sumpseris. Vale.

Pline le Jeune.

112. — Le captateur de testaments.

Assem para, et accipe auream fabulam : fabulas immo ; nam me priorum nova admonuit, nec refert a qua potissimum incipiam. Verania Pisonis graviter jacebat : hujus dico Pisonis, quem Galba adoptavit.

Ad hanc Regulus venit. Primum impudentiam hominis, qui venerit ad ægram cujus marito inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat! Esto, si venit tantum : at ille etiam proximus toro sedit : quo die, qua hora nata esset, interrogavit. Ubi audivit, componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat, nihil nisi ut diu miseram exspectatione suspendat. « Habes, inquit, climactericum tempus, sed evades. Quod ut tibi magis liqueat, aruspicem consulam, quem sum frequenter expertus. » Nec mora : sacrificium facit; adfirmat exta cum siderum significatione congruere. Illa ut in periculo credula poscit codicillos : legatum Regulo scribit. Mox ingravescit; clamat moriens : « O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam perjurum! » qui sibi per salutem filii pejerasset. Facit hoc Regulus non minus scelerate quam frequenter, quod iram deorum, quos ipse quotidie fallit, in caput infelicis pueri detestatur.

PLINE LE JEUNE.

113. — Pline à Capiton.

Suades ut historiam scribam, et suades non solus : multi hoc me sæpe monuerunt, et ego volo, non quia commode facturum esse confidam (id enim temere credas nisi expertus), sed quia mihi pulchrum in primis videtur non pati occidere quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum suà extendere. Me autem nihil æque ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, res homine dignissima; eo præsertim qui nullius sibi conscius culpæ, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito si *qua me quoque possim Tollere humo ;* id enim voto meo sufficit; illud supra votum : *victorque virum volitare per ora. Quanquam o!* Sed hoc satis est, quod

prope sola historia polliceri videtur. Orationi enim et carmini parva gratia, nisi eloquentia est summa; historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur. Me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Avunculus meus idemque per adoptionem pater historias et quidem religiosissime scripsit. Invenio autem apud sapientes honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.

PLINE LE JEUNE.

114. — Pline à Fuscus.

Scio nunc tibi esse præcipuum studium orandi; sed non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum suaserim. Ut enim terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex historia locum apprehendas, volo epistolam diligentius scribas. Nam sæpe in orationes quoque non historicæ modo, sed prope poeticæ descriptionis necessitas incidit, et pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo (id enim perfici nisi in otio non potest), sed hoc arguto et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur; atque adeo (cur enim te ad versus non versibus adhorter?):

Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequatur
  Si doctos digitos jussaque fiat opus,
Et nunc informet Martem castamve Minervam,
  Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum;

Utque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Sæpe etiam flores vernaque prata juvant :
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

PLINE LE JEUNE.

115. — Mort de Pline l'Ancien.

Interim e Vesuvio monte pluribus in locis latissimæ flammæ altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Avunculus agrestium trepidatione igni relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis, dictitabat. Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui limini obversabantur audiebatur. Sed area ex qua diæta adibatur ita jam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano ceterisque qui pervigilaverant reddit. In commune consultant, intra tecta subsistant an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus quanquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur; quod tamen periculorum collatio elegit. Et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt : id munimentum adversus incidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant.

PLINE LE JEUNE.

116. — Fin d'une longue description.

Vitassem jamdudum ne viderer argutior, nisi proposuissem omnes angulos villæ meæ tecum epistola circumire. Neque enim verebar, ne laboriosum esset legenti tibi quod visenti non fuisset, præsertim cum interquiescere, si liberet, depositaque epistola quasi residere sæpius posses. Præterea indulsi amori meo : amo enim quæ maxima ex parte ipse inchoavi aut inchoata percolui. In summa (cur enim non aperiam tibi vel judicium meum vel errorem?) primum ego officium scriptoris existimo ut titulum suum legat atque identidem interroget se quid cœperit scribere, sciatque, si materiæ immoratur, non esse longum ; longissimum, si aliquid arcessit atque attrahit. Vides quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Æneæ, Achillis ille, describat : brevis tamen uterque est, quia facit quod instituit. Vides ut Aratus minutissima etiam sidera consectetur et colligat : modum tamen servat. Non enim excursus hic ejus, sed opus ipsum. Similiter nos, ut parva magnis, cum totam villam oculis tuis subjicere conamur, si nihil inductum et quasi devium loquimur, non epistola quæ describit, sed villa quæ describitur, magna est.

PLINE LE JEUNE.

117. — Les ricochets.

Medium spatium Ostiæ civitatis emensi, jam liberum littus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tundebat. Et, ut semper mare, etiam positis flatibus, inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis tortuosisque ibidem erroribus de-

lectati perquam sumus, cum in ipso æquoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet fluctus, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim igitur tranquilleque progressi, oram curvi molliter littoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Et, cum ad id loci venimus, ubi subductæ naviculæ, substratis roboribus, a terrena labe suspensæ quiescebant, pueros vidimus certatim gestientes testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est : testam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de littore ; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest super undas irrotare, ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, enataret, dum leni impetu labitur ; vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa et procurreret longius et frequentius exsiliret.

Minucius Félix.

118. — Influence de la musique d'Orphée.

Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus,
  Neglectumque diu seposuisset ebur ;
Lugebant erepta sibi solatia Nymphæ,
  Lugebant dulces flumina mæsta modos.
Sæva feris natura redit, metuensque leonum
  Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius et duri flevere silentia montes,
  Silvaque Bistoniam sæpe secuta chelyn.
Sed postquam Inachiis Alcides missus ab Argis
  Thracia pacifero contigit arva pede,
Diraque sanguinei vertit præsepia regis,
  Et Diomedeos gramine pavit equos ;

Tum patriæ festo lætatus tempore vates
  Desuetæ repetit fila canora lyræ,
Et resides levi modulatus pectine nervos,
  Pollice festino mobile duxit ebur.
Vix auditus erat : venti frenantur et undæ ;
  Pigrior adstrictis torpuit Hebrus aquis ,
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes,
  Excussit gelidas pronior Ossa nives ;
Ardua nudato descendit populus Hæmo,
  Et comitem quercum pinus amica trahit.

CLAUDIEN.

119. — A Paula, sur la mort de Blésilla sa fille.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo, non, ut ait Jeremias, vulneratos populi mei ; nec, ut Jesus, miseriam Jerusalem ; sed plorabo sanctitatem, misericordiam, innocentiam, castitatem, plorabo omnes pariter in unius morte defecisse virtutes. Non quod lugenda sit illa quæ abiit, sed quod nobis impatientius sit dolendum, qui talem videre desivimus. Quis enim siccis oculis recordetur viginti annorum adolescentulam tam ardenti fide crucis levasse vexillum ? Quis sine singultibus transeat orandi instantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenii?... Sed quid agimus? Matris prohibituri lacrimas, ipsi plangimus. Confiteor affectus meos, totus hic liber fletibus scribitur. Flevit et Jesus Lazarum, quia amabat illum... Testor, Paula, Jesum quem Blesilla nunc sequitur, testor sanctos angelos quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta quæ pateris ; patrem esse spiritu, nutritium caritate, et interdum dicere : Pereat dies illa in qua natus sum !

SAINT JÉROME.

120. — Les dieux des Romains.

Romani probris et injuriis poetarum subjectam vitam famamque habere noluerunt, capite etiam plectendum sancientes, tale carmen condere si quis auderet. Quod erga se quidem satis honeste constituerunt, sed erga deos suos superbe et irreligiose : quos cum scirent non solum patienter, verum etiam libenter poetarum probris maledictisque lacerari, se potius quam illos hujuscemodi injuriis indignos esse dixerunt; seque ab eis etiam lege munierunt, illorum autem ista etiam sacris solennitatibus miscuerunt. Itane tandem laudas hanc poetis romanis negatam esse licentiam, ut cuiquam opprobrium infligerent Romanorum, cum videas eos nulli deorum pepercisse vestrorum ? Itane pluris tibi habenda visa est existimatio curiæ vestræ quam Capitolii, immo Romæ unius quam cæli totius ; ut linguam maledicam in cives tuos exercere poetæ etiam lege prohiberentur, et in deos tuos securi tanta convicia, nullo senatore, nullo censore, nullo principe, nullo pontifice prohibente, jacularentur ? Indignum videlicet fuit ut Plautus aut Nævius Publio et Cneo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret ; et dignum fuit ut Terentius vester flagitio Jovis Optimi Maximi adolescentium nequitiam concitaret

Saint Augustin.

TABLE DES MATIÈRES

AUTEURS ANTÉRIEURS A L'ÈRE CHÉTIENNE

Cicéron (106-43)

César (100-44)

Lucrèce (97-51)

Salluste (86-34)

Virgile (70-19)

Horace (65-8)

Tite-Live (57 av.-17 ap.)

Ovide (43 av.-18 ap.)

AUTEURS POSTÉRIEURS A L'ÈRE CHRÉTIENNE

Sénèque (3-65)

Pline l'Ancien (23-79)

Silius Italicus (25-100)

Martial (40-103)

Juvénal (42-123)

Quintilien (42-120)

Tacite (54-140)


Pline le Jeune (62-115)

Minucius Félix (IIIe siècle)

Claudien (IVe siècle)


Saint Jérôme (346-420)


Saint Augustin (354-430)




37437. — Tours, impr. Mame.






a39003 0028562186


U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 08 01 03 06 28 8